# DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

# HYDROCEPHALO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

*D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.*

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES FERGUSON,

Scotus,

CHIRURGUS,

SOC. REG. MED. EDINENSIS SOCIUS.

---

"Principiis obsta; sero medicina paratur,
"Cum mala per longas convaluere moras."—Ovid.

---

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCXV.

VIRO PERILLUSTRI,

MICHAELI SHAW STEWART,

DE

GREENOCK ET BLACKHALL,

BARONETTO,

PRAEFECTOQUE REGIO COMITATUS RENFREWENSIS;

HAS PAGINAS,

(UTINAM TALI PATRONO DIGNIORES ESSENT!)

SUMMAE OBSERVANTIAE

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

DEDICAT CONSECRATQUE

JOHANNES FERGUSON.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b2492023x

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

# HYDROCEPHALO ACUTO.

## PROŒMIUM.

Cum medici doctrina et experientia insignes, Hydrocephalum Acutum in lucem clariorem proferre, ejusque curationem faciliorem, certioremque reddere, frustra conati sunt; juvenem adhuc in arte medicinali rudem aliquid ad res adeo exoptabiles conficiendum conferre posse, vix expectandum est. Sin autem observationes experientiamque aliorum breviter et clare exponam, omnia quae volui perfecta

sunt. Si majore cum laude legibus hujus almae Academiae parere potuissem, mihi multum adfuisset gaudium ; quoniam verò adhuc neque multa scientia medicinae, neque dotibus animi insolitis praeditus sum, arcana morborum et medicinae penetrare minime valeo.

Antiquiores medici de Hydrocephalo, sed non de morbo nostro, scripserunt ; Hydrocephalum Chronicum, ut nunc vulgo dicitur, cognoverunt ; minime vero inde existimare licet, nostrum apud antiquos non exstitisse ; nam ex vestigiis ejus quae nobis tradita sunt in scriptis vetustis, suam vim lethalem exercuisse videmus, quamvis natura ejus haud cognita fuerit ; quia febri, vermibus, et aliis infantilibus malis, verisimile est, attributa.

Petit in Gallia, Paisley et St Clair in Britannia, de Hydrocephalo observationes primas obscurè attulerunt. Celeberrimus Whytt autem historiam accuratam medicis primo tra-

didit; post eum Fothergill, Quin, Percival, Rush, Cheyne, Smyth, et alii haud parvi nominis, in ordine hunc morbum excoluerunt; etiamsi labores hominum adeo celeberrimorum multum in naturam morbi detegendo, et methodum ejus medendi efficaciorem reddendo fecerint; exitus tamen ejus lethalis satis superque ostendit pathologiam mancam et imperfectam esse, et plurimum fieri adhuc manere.

## DE NOMINE ET DEFINITIONE.

Huic morbo alii alia pro cujusque opinione, nomina posuerunt: Hydrocephalus internus olim appellabatur; Quin autem, Hydrocephalum acutum; Rush, Phreniculam primo stadio, secundo Apoplexiam Chronicam; Cullen, Apoplexiam Hydrocephalicam; M'Bride,

Febrem Hydrocephalicam ; Smyth, Hydrencephalum, nominavit. Hydrocephalum Acutum, utpote nomen quo morbus vulgo cognitus est, praefero; propterea quod Hydrocephalo aquoso sive chronico eum distinguit, omnesque vanas et inutiles sententias prohibet.

Cullen, hunc morbum Apoplexiae affinem respiciens, in classe Neurosium, et ordine Comatum posuit, atque his verbis definivit. " Apoplexia Hydrocephalica paulatim adoriens; infantes et impuberes primum lassitudine, febricula, et dolore capitis, dein pulsu tardiore, pupillae dilatatione, et somnolentia afficiens." Olim infantes et impuberes solummodo huic morbo obnoxios esse putatum est ; observatio tamen maturior et recentior adultos interdum, sed multo rarius quidem, eo implicitos esse ostendit. Itaque Doctor Gregory, in praelectionibus suis, definitionem ejus accuratiorem fuisse si non infantiae et pueritiae cohibita es-

set, recte observabat. Praeterea, frequentia pulsuum in stadio ultimo praetermissa est in hac definitione.

---

## DE SIGNIS.

Hic morbus in stadia tria divisus est, quae alium ab alio mutatione pulsûs dignoscuntur. Primò pulsus frequens, deinde tardior, et postremò frequentissimus fit.

Stadium primum, *incitationis* dictum, signa varia ostendit in aegris diversis. Interdum tardè et quasi sensim irrepit, et signa sibi propria non, nisi post aliquot dies, vel etiam hebdomadas, apparent. Adsunt dolor capitis et abdominis, febricula, languor animi, mutatio vultûs, anorexia, et functiones omnium viscerum abdominis haud parum turbatae. Haec signa vix animum amicorum metu afficiunt,

usque dum morbus longius progressus est; dolor capitis multo gravior et perpetuus fit; adsunt etiam subinde vomitus mane, vel motu excitatus, suspiratio, tussis sicca, dura, molesta et peculiaris, capitis gravitas et impotentia ejus quasi elevandi, pupillae contractae, intolerantia lucis, lingua plerumque subalbida, interdum rubra et munda; alvus pertinaciter adstricta, dejectiones colore plumbeo primo, sub fine autem oleoso sive glutinoso, viridi et subnigro, et odore valde foetido sunt; pulsus celer, calor cutis auctus; modo febris paulisper se inordinatè remittit, modo accessiones vespertinas habet, quae, ut Whytt dicit, adspectum febris ex organis concoctionis se male habentibus orientis sibi sumpserunt; dolores praeter caput, alias partes corporis infestant, sicuti brachia et crura vel dorsum inter scapulas non fixi, sed huc et illuc jaculantur, aut omnino cessant. Et Fothergill observavit quòd, cum dolores artuum deerant, caput et ventriculus multo vehementius afficiantur.

Interdum tamen cursum celeriorem morbus tenet. Febris acuta remissionibus et accessionibus lenibus subito apparet; facies rubescit; arteriae carotides vehementer pulsant; caput plurimùm dolet; ventriculus valde irritabilis est; oculi sensu majore et splendore praediti sunt; et sub pressione abdomen dolore tentatur.*

Nonnunquam adhuc aliter invadit; quum, aliis morbis acutis sicuti Febri, Rubeolae, Pertussi aut Dentitioni superveniat. Cum ita accidit signa morbi prioris sensim in Hydrocephalum acutum labuntur. Dilatatio pupillarum, convulsiones et paralysis prima sunt signa quae morbum novum ostendunt.

Stadio secundo adveniunte omnia signa graviora fiunt: capitis dolor plurimum inten-

* Vide "Cheyne on Hydroceph. Acutus," et "Observations on Hydroceph. Internus, by G. G. Kuhn." Apud Edin. Med. and Surgical Journal, No. IX.

ditur, de quo saepe queritur; sedes ejus vel in sincipite, vel occipite, vel vertice, vel utroque latere sit, cui aeger caput inclinat. Caput e pulvinari elevando excrucians redditur, et intervallis interdum aequalibus per cerebrum jaculatur, aegrumque ululare cogit, quod simul cum vultu ejus anxio nobis conditionem maximè plorandam indicat; palpebrae ferè clausae lucem excludunt, ne oculum nimis stimulet; iris in hoc stadio, ut inquit Doctor Smyth, vix accessione radiorum lucis sese contrahit, multo hebetior facta est.* Adest quoque saepe stridor dentium perpetuus, et rotatio capitis non voluntaria. Interdum soni intolerantia adeo magna est, ut sonus quidem lenis irritationem haud parvam excitet. Hujus exemplum notabile Rush tradidit, in quo crepitus ligni in igne urentis convulsiones movit.† Nausea et vomitus magis infestant; illa constans, hic autem muta-

* Vide "Treatise on Hydrencephalus."

† Vide "Med. Observations and Inquiries," Vol. II.

tione positûs vel cibis excitari, videtur. Alvus valde adstricta, et solummodo ope medicamentorum fortium aliquid reddit. Torpor adesse videtur generalis, qui totum corpus pervadit. Febris intenditur, vultus rubore suffusus, respiratio celerior, sed identidem suspiriis intermittitur, pulsus in sexagesima parte horae 120, 130, aut usque 140 saepe micat. Caput tactu caeteris partibus corporis calidius sentitur, venae ejus sanguine turgescunt, atque inter supercilia dicit Doctor Smyth tumorem mollem oedematosum esse. Interdum hoc tempore sanguis e naribus destillat, aut sudores inaequales erumpunt, sed infelix nihilo levius affligitur. Aeger raro in somnum abit, aut si irrepit, indè subito expergiscitur, et peculiariter stridet, quasi somniis diris perturbatus esset. Faciem frontemque manu saepe perfricat, et saepe etiam nares carpit. Vultus peculiaris, si non dolore aut metu perturbatus, inquit Doctor Cheyne, oppressionem animi vel fatuitatem indicat, quam amici ae-

grorum lugent.* Positus erectus et motus infelici intolerabiles sunt, et ferè vomitum movent, doloremque capitis intendunt.

*Stadium secundum, torporis* nimirum, iis signis gravibus supervenit; quae pro tempore incerto adfuissent, modo diebus paucis, modo hebdomadis duabus tribusve, et quae sensim aliis signis cessissent, quibus stadium secundum indicatur. Pulsus antea frequens, tardior tardiorque fit, et nunc debilis, nunc fortior vacillat; saepe adeo tardus fit, ut per quosdam pulsus vix sexagies in parte horâ sexagesima micat; iterumque subito ad centum usque variet, causis levissimis interdum pro tempore acceleretur. Dolor capitis et vomitus perstant, et plerumque intenduntur; sed sub fine hujus stadii, ille saepius cessat, vel saltem de quo aegri non queruntur; hic etiam abest; cibi igitur aut medicamenta

* Cheyne, *loc. cit.*

non solum facile, verum etiam avide sumuntur, et retinentur ventriculo, quod certe multum injuriae nunc cerebro allatum esse probat, vel nimia plenitudine vasorum sanguineorum, vel humore effuso intra cerebrum; hinc stupor, qui plus minusve adest, increscit, et haud raro sub fine, in coma degenerat. Sensus omnes, nunc multo hebetiores evadunt: pupillae oculorum dilatatae sunt, et bini oculi in motibus suis parum consentiunt; strabismus igitur subsequitur. Agitatio sive rotatio capitis, stridor dentium, et fricatio frontis, non solum continuata sunt, verum etiam multo graviora et frequentiora fiunt. Aeger convulsionibus corripitur; subinde altè suspirat, dein spiritum celeriter trahit, et emittit pro tempore, tum iterum profundè suspirat: vultum torquet, et amenti similis subinde vociferat. Interdum respiratio difficilis, et stertore, ac in apoplexia, comitatur. Spiritus foetet; alvus pertinaciter adstricta remanet, et interdum vermes aut aliquid iis simile reddit.

*Stadium tertium* incipit, cum signa secundi jam dicta in pejus ruunt, et pulsus iterum gradum accelerat, magis, magisque frequens et ordinatus fit, et auctoribus et memetipso observatus est in parte horae sexagesima 190, 200, et etiam 210 pulsare. Coma majus factum est, simul cum delirio murmuratione comitato; aegri gena una rubescit fortasse, dum altera pallida manet. Oculi sanguine suffusi sunt, et muco filis quasi simili teguntur; palpebrae paralysi afficiuntur, et super oculos decidunt; stridor dentium gemitusque ex imo pectore saepius eduntur; adest quoque cupido stragula carpendi; convulsiones, frequentiores et graviores fiunt; et haud raro latus unum paralysi capitur; calor cutis maximus est. Sudor ad ultimum poris ex omnibus manat. Demum aeger facultatem devorandi amittit. Respiratio magis magisque difficilis evadit, et intervallum singulis expirationibus supervenit. Maculae rubrae vel vibices interdum quibusdam in partibus cor-

poris conspici possunt; sphincteribus solutis, urina et faeces insciè redduntur; pulsus celerrimè micat et fluctuat, demum et simul cum eo vita cessat, si convulsio vehemens e vivis aegrum infelicem citius non eripuerit. Continuatio tamen morbi valde incerta, et varia est: de qua medici differunt; Whytt enim per quatuor, quinque aut sex hebdomadas durare; Fothergill intra hebdomadas tres terminare plerumque observabat; quod recentiores confirmaverunt. Sunt vero exempla, quae per menses perstiterunt. Cum vehementer invadit, curriculum ejus paucis diebus perficiat. Duratio stadiorum ejus quoque variat; quum enim pulsus tardior factus est, difficillimum est dictu, quamdiu ita sit, aut num mors instet: Cheyne aegros vidit, qui antemeridiano sensus quodammodo possidebant, sed, pulsu tardo per breve spatium durante, ante noctem mortui sunt. In stadio ultimo cum mors impendebat, aeger cum fato luctatus est plus hebdomada ante exitum.

Respiratio accelerata, inquit Cheyne, signum unicum est, quod mortem instantem pro certo indicare potest.

Signa et progressus morbi haud minus, quam duratio, variantur. Hinc, inquit Doctor Quin, mutationes pulsûs in quibusdam non observare potuisse ; et pupillas non, nisi ultimo die vitae, dilatatas esse ; nullam lucis intolerantiam, nullum vomitum, et nullum capitis dolorem vehementem adesse. Rush quoque exempla ejusmodi dat, quibus pauca vel nulla signa morbo propria adfuerunt. Itaque nos, ut Hydrocephalum acutum Protei similem, sub multo vario aspectu videre parati simus, oportet.

Doctor Gregory, in praelectionibus suis dicere hunc morbum sese per diem vel partem diei remittere posse, solitus est ; hoc autem nos fallere non ita debet, ut morbum in melius converti putemus : morbus enim nihi-

lominus cursum ejus sine impedimento ad finem usque vitae tenet.

## DE INCISIONE CADAVERUM.

Cum in caput mortuorum Hydrocephalo Acuto implicitorum incidimus, venas membranarum in superficie et cavitatum sive ventriculorum plenas sanguine videmus. Piam matrem quoque vasis minutissimis humore distentis, et adhaesiones membranarum et partes inflammatas et spissatas conspicimus. In exemplis gravibus, substantia cerebri cum inciditur, puncta plurima rubra et lineas rubras parallelas exhibet. Cum in ventriculos laterales incidimus, plus minusve humoris invenimus, qui ferè eos, tertium et quartum ventriculum, implet; quia ventriculi omnes cerebri plerumque inter sese communicant. Interdum ventriculus lateralis alter humore distenditur, dum alter nihil humoris continet,

propterea quod foramen Monroianum lympha coagulabili effusa, vel inflammatione obstructum erat.

Cum haec inaequalis distensio invenitur, latus corporis unum magis altero affectum et paralyticum fuerat.*

Interdum paululum humoris super tunicam arachnoideam, et supra et infra cerebrum inventum est.

Substantia cerebri ubi ventriculos instruit mollissima est; fornix etiam solita mollior est. Tumores coloris albidi et flavi a magnitudine juglandis, ad ovi gallinacei, aut amplius, vel super membranas, aut saepius in substantia cerebri, inventi sunt; et haud raro pus scrofulosum continent.

---

* Vide Whytt's Works.
Vide Smyth on Hydrencephalus.

Petit glandulam pinealem et pituitariam scirrhosam esse vidit. Corpora olivaria et pyramidalia morbosa et aucta fuerunt.

Humor tamen in omni exemplo minime expectandus est; interdum enim signa omnia morbo propria adfuerunt; et nihilominus, cadavere inciso, vasa sanguinea plena et distenta, sed nihil effusum, inventa sunt.

Porro, Abernethy, chirurgus celeberrimus, capite aegri aperto, qui omnibus signis Hydrocephalo Acuto propriis mortuus erat, nihil aut humoris aut congestionis, nihil quidem morbidum in cerebro videre potuisset; viscera tamen abdominis morbida invenit.*

Quae post mortem conspecta esse possunt, plurimum pro diuturnitate morbi variant.

---

* Vide Surgical Works, vol. I. London, 1811.

Cum mors cito accidit, nihil humoris effusi, sed signa inflammationis ex actione nimia arteriarum pendentis, in conspectum veniunt. Cum autem aeger, in stadio secundo et tertio, diu vivit, et mors pede tardo accedit, tum humor copiose effunditur ; et vix ulla vestigia actionis auctae arteriarum, ut patet e vasis sanguine plenis absentibus, videri possunt ; sed inflammationis, quae membranas solito spissiores, et inter sese adhaerescere reddidisset.

Quantitas humoris effusi ab unciis duabus, ad quatuor vel sex variatur, et interdum ad uncias duodecim. Est purus et pellucidus, similis aquae, gravitate specifica 1006.7 ad aquae 1000, et alcalinis imbutus. Acidum muriaticum nihil coagulat ; acid. sulphuricum calore addito turbidum reddidit ; acid. nitricum nebulam albidam, quae agitatione evanuit, demisit. Hic humor non calore coagulatur ; evaporatione autem pelliculam pingu-

em ostendit; evaporatione iterum continuata, substantia semiusta, spongiosa, et fusca materiae animalis vel tegentis, vel massâ salinâ crystallinâ confusâ mixtae, visa est. Haec esse inventa est muco-extractiva cum pauxillo albuminis. Sales sunt murias sodae, murias potassae, et subcarbonas sodae, vestigium sulphatis alcalinae, phosphatis calcis, magnesiae et ferri. Hic humor a sero sanguinis, et a humore hydropico differt in eo, ut minimum albuminis et muco-extractivae materiae contineat; hinc calore aut acidis vix coagulatur.*

In *thorace* nihil morbidum, nisi tubercula pulmonum interdum, inventum est.

In *abdomine* intestina aliquando inflammata et constricta sunt; superficies hepatis

* Vide Marcet apud Medico-Chirurgical Transactions, Vol. II.

ruberrima est, et interdum peritonaeo adhaerescit; interdum tuberculis exiguis albis, in magnitudine grani seminis sinapeos bullata, visa est: glandulae mesenterii saepe tumidae, et materiam caseo similem continent.

## DE DIAGNOSI.

Hydrocephalus Acutus in primo stadio confundi potest cum vermibus intestinorum, marasmo, febre remittenti infantili, et dentitione. Est maximi quam primum diagnosin statuere. Febricula aliis morbis supra dictis adest; vultus pallidus, anorexia, diminutio virium animorumque, irritationem ex quacunque causa orientem comitantur. Praeter haec signa, tamen intolerantia lucis et interdum soni, vomitus, capitis dolor, alvus adstricta, aspectus dejectionum peculiaris, et aeger posturae erectae impatiens, satis sunt ad diagnosin

statuendum, nostrumque morbum ab aliis dignoscendum. Signa autem morborum diversorum comparemus, et inde diagnosin planius indicemus.

*Verminatio.* In vermibus vultus pallidus aut plumbeus; oculi hebetes; pupillae nonnunquam dilatatae; nares pruriunt; labrum superius tumescit; caput interdum dolet; spiritus foetet; somnus interruptus; stridor dentium inter dormiendum; pulsus frequens et intermittens; abdomen tumidum et durum; dejectiones mucosae; nausea, fere et vomitus; appetitus varius, modo penè nullus, modo vorax; alvus dolet, atque adstricta est; interdum diarrhoea et tenesmus accidunt; nonnunquam quoque, sed raro quidem, strabismus; convulsiones; macies. In quo igitur differunt haec a Hydrocephalo? In vermibus nulla intolerantia lucis et soni, neque ulla signa ex actione aucta vasorum cerebri orientia adsunt, sicut in nostro morbo. Convulsio-

nes quum accidant, ab initio ambo latera generaliter afficiunt; quae in nostro non, nisi prope finem, accedunt; et quum adsunt, alterum latus magis altero corripiunt. In vermibus appetitus varius et vorax; in nostro autem fere adsunt primo nausea et vomitus; in illis dolor capitis se intermittit; in nostro gravis et perpetuus est; in illis alvus saepius soluta, et cum adstricta, facile medicamentis solvitur; in nostro difficillime solvi purgantibus etiam fortibus potest; in illis dejectiones mucosae, in nostro gelatinosae, colore viridi et subnigro, et odore peculiariter foetido; in illis intermissiones per hebdomadas, aut menses accidunt, quibus puer subinde queritur de dolore alvi, quae fere tumida et dura est; in nostro, etiamsi remissiones breves sint, morbus tamen durat, cursumque tenet certo pede.

In *Marasmo*, qui, secundum Doctorem Hamilton seniorem, medicum ingeniosissimum,

ex vitio organorum concoctionis oritur; signa iis similia, de quibus mentionem fecimus, sub vermibus apparent; et praeterea, adsunt interdum intolerantia lucis, vomitus violentus, et dolor capitis perpetuus; praeter quae signa, nulla alia diagnosin statuere possunt. Haec ultima symptomata tamen raro adsunt; et si non, eaedem observationes ac in vermibus hic respondebunt ad Hydrocephalum Acutum a marasmo dignoscendum.

In *Febre Remittente infantili*, ex irritatione intestinorum oriente, adsunt capitis dolor, vomitus, obstipatio et febris, quae subinde se remittit. Doctor Butter remissiones tres in die observavit, unam scilicet ante meridiam, aliam pomeridiano, et tertiam noctu; iste ordo tamen certus vix expectandus est. Remissio autem manè et ante meridiem, et accessio vespere, plerumque accidunt; capitis dolor et vomitus non ita constantia et violenta in hac febre; et hic illum minuit, vel submo-

vet. In Hydrocephalo autem vomitus nihil allevat; quia cerebrum injuria affectum capitis dolorem movet atque intendit. In hac febre alvus adstricta, sed facile solvitur; dejectiones subfuscae et limosae sunt; nihil adest intolerantiae lucis vel soni, neque signa actionis auctae arteriarum in cerebro; hinc vix confundi cum Hydrocephalo Acuto potest.

In *Dentitione* irritatio summa in corpore excitatur, quae signa haud dissimilia Hydrocephalo Acuto movet. Fluxus autem copiosus salivae; rubedo, calor et tumor gingivarum, causam morbi facillimè ostendunt; et gingivis incisis, evanescunt. Incisio dentium secundi ordinis, praecipue molarium, ut Doctor Smyth dicit, signa Hydrocephalo incipienti simillima movet.* Ille medicus vidit appetitum, colorem faciei amissa; vires et ani-

* Smyth, *loc. cit.*

mi et corporis fractas ; pulsum nunc celerem nunc intermittentem ; halitum cutis copiosum inter dormiendum ; pupillas dilatatas, et aliquid strabismi, adeo ut morbus medicis equidem peritis, pro Hydrocephalo Acuto habitus fuerit. Sed conditio gingivarum, absentia in capite doloris perpetui, vomitûs, intolerantiae lucis, alvi pertinaciter adstrictae, satis superque est diagnosin confirmare. In stadio secundo, mutatio pulsus, qui primo frequens, nunc secundo tardus, et tum iterum tertio frequentissimus fit ; coma ; rotatio capitis perpetua ; ululatus ; vociferatio stridula ; strabismus ; pupillae dilatatae ; paralysis unius lateris ; convulsiones ; et respiratio accelerata cum stertore, Hydrocephalum Acutum sine dubio indicant, atque diagnosin certissimam statuunt.

In diagnosin inter hunc morbum et omnes alios statuendo, quoque utilissimum erit in memoria tenere, quod aeger, Hydrocephalo

Acuto implicitus, neque posituram erectam, neque motum, ferre possit; praeterea quod venae capitis turgidae sint, et integumenta inter supercilia tumescant; urina diu retineatur; ut torpor haud parvus totius corporis, quo effectus hydrargyro proprii, et aliorum potentium remediorum, vix in corpore excitari possint: torpor esse videtur etiam cutis, quae difficilè emplastris meloës vesicatorii exulceretur.

## DE PROGNOSI.

Medici quidam, inter quos Whytt et Fothergill, Hydrocephalum Acutum immedicabilem esse olim putaverunt;* experientia tamen consideratior nos hodiernos docuit, ut etiamsi morbus gravissimus et periculosissimus,

---

* Whytt's Works, 4to. Fothergill's Medical Observations and Inquiries, vol. IV.

minime tamen immedicabilis putandus sit. Contra, exempla multa fide digna tradita sunt hujus morbi curationis. Violentia et progressus morbi in prognosi statuenda nos auxiliantur. Cum morbus in stadio primo est, et tarde procedit, spem faustam praebet ; in secundo magis infausta ; in tertio infaustissima est prognosis. Cum subito et violenter invadit ; vel cum convulsiones, strabismus, pupillae dilatatae, prima sunt signa morbi ; praesertim si post alium morbum acutum accedat, prognosis infaustissima est, et penè exspes.

Interdum cum urinâ copiosâ, interdum cum exhalatione per cutem circiter caput et cervicem abiit. Hoc Doctor Cheyne curationem spontaneam effici dixit, posteaquam fato infelici aegrum reliquisset.* In memoria semper tenendum est hunc morbum remissionibus et accessionibus opportunum esse, quae

* Cheyne, *loc. citat.*

ad medicum et adstantes decipiendum aptissimae sunt in omnibus stadiis ; prognosis igitur cautè semper dicenda est.

In stadio ultimo, pupilla interdum, prius multum et diu dilatata, nunc contracta fit, et stimulo ad nares admoto, sicuti aquâ ammoniae, iterum sese dilatat, quod omen faustum non cogitandum, quia minimè est signum sensûs in iridem redeuntis.

## DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Hic morbus omni tempestate anni, omnibusque temporibus vitae praeter senectutem accedit. Aetas vero inter infantiam et pubertatem maxime proclivis est ; quia magnitudo arteriarum cerebri, ejusque fabrica tenerrima, tum proclivitatem majorem dare videntur. Infantes rarius, adultos multo rarius adhuc, senes fortasse nunquam, adoritur.

*Scrofula* saepe causa est praedisponens, Hydrocephalus enim praecipuè familias, labe strumosa imbutas, infestat. Praeterea, glandulae cervicis lymphaticae, et mesenterii quoque tumidae sunt in aegris qui nostro morbo laborant. Incisio cadaverum quoque materiam caseam in glandulis mesentericis, et scrofulae peculiarem in tumoribus cerebri. In quibusdam familiis haereditarius videtur, propterea quod saepe redit aufertque quosdam vel omnes liberos ejusdem familiae: et exempla sunt, quae septem vel undecim liberos amisissent; interdum natos adoritur, dum natas ejusdem domûs praeterit.* Sauvagesio aliisque observatum est, liberos omnes ad aetatem usque certam vixisse, et tum morbo hoc periisse. "Novi familiam," inquit Sauvagesius, "cujus infantes circa sextum aetatis annum, omnes periere ex hoc morbo, scrofula huic effusioni ansam praebente."†

---

* Vide Quin.

† Nosologia, tom. I. pag. 553, et Rees' Cyclopaedia, art. Hydrocephalus.

*Debilitas summa* post scarlatinam, rubeolam, variolam, et similes morbos acutos, partem corporis debilissimam facit, ut Hydrocephalo, causis excitantibus admotis, succumbat; hinc cum tarde et imperfecte convalescit, huic proclivitatem praebet. Injuriae capiti illatae, laxitas sive debilitas cerebri congenita, inter causas praedisponentes vulgo enumerantur; et forsan interdum merito, priores autem potius sunt excitantes.

## DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Injuriae capiti illatae, sicuti ictus vel casus, interdum Hydrocephalum Acutum movent. Incurvatio corporis frequens et continua, vel quicquid reditum sanguinis in venis impediat, et congestionem in vasis cerebri sanguineis faciat, omnia haec fortasse morbum nostrum excitent. Exercitatio violenta inflammationem cerebri, quae in hunc desiit, excitavit.

Hujus exemplum notabile, puellae casum Doctor Percival memoravit, quae violenter saltabat, et penè inter saliendum terramque pede alterno quatiendum, dolore capitis vehementi implicita est, cui signa omnia alia Hydrocephalo Acuto propria supervenerunt.* Doctor Rush calorem nimium solis esse causam excitantem putavit. Suppressio evacuationum solitarum e capite; metastasis eruptionum, sicut tineae capitis; lymphatica rupta, causas excitantes esse dicuntur. Pertussis gravis certe congestioni sanguinis nimiae in vasis cerebri favet, Hydrocephalumque excitat. Exanthemata, ut variola, rubeola, scarlatina, interdum debilitatem summam inducunt; hinc causae excitantes enumerari possunt. Optime cognitum est scarlatinam pro multis diebus, posteaquam eruptio abiisset, constitutionem corporis Hydropi proclivitatem reddere; hinc levibus ex causis, ut frigoris applicatione, hy-

* Medical Facts and Observations, vol. I.

drops, plus minusve universus, inducitur. Aliquando anasarca solummodo, sed interdum effusio in thoracem, vel abdomen, vel cerebri ventriculos, infunditur. Cum effusio in cerebro accedit, convulsiones, caecitas, pupillae dilatatae, aliaque signa subito apparent, quae compressionem cerebri denotant. Interdum tamen post scarlatinam, anasarca in juvenibus scrofulosis subito ab extremitatibus recedit; deinde capitis dolor inter supercilia, gravedo, pulsus tardus et inordinatus, ululatus perpetuus, convulsiones, strabismus, dilatatio pupillarum, et in stadio ultimo pulsus frequentissimus, et paralysis unius lateris superveniunt.* Eandem metastasin ab aliis partibus ad cerebrum accidisse Doctore Wells quoque notum est.†

---

* Vide Blackall on Dropsies.

† Vide Transactions of a Society for improving Medical and Chirurgical Knowledge, vol. III.

Febris remittens infantilis, vel male tractata, vel in natura sua violenta, periculosa est. Interdum convulsiones inde orientes, vel violentia morbi aegrotum perdat; vel vitia intestinorum, inflammationem et intus-susceptionem, vel Hydrocephalum, convulsiones et mortem, inducant.*

Casum notabilem, ubi Phthisis Pulmonalis Hydrocephalum movit, Dr Percival tradidit. Quamprimum hic accessit, ille, qui per menses quatuor perstitisset, subito evanuit, et alter infelicem brevi superavit. Idem auctor signa omnia Hydrocephali cum iis Pneumoniae, et Hydrothoracis commutari vidit.† Alii morbi auctoribus memorati sunt, sicuti Rheumatismus, Typhus, Colica, Paralysis, Melancholia, et Dysenteria, quibus Hydrocephalus supervenerat; illae causae tamen rarissimae sunt.

---

* Vide Smyth on Hydrencephalus.

† Vide Percival, *loc. cit.*

Tumores in cerebro, de quibus antea dictum est, irritationem, inflammationem, et denique effusionem moveant, unde Hydrocephalus oriatur.

Consensus inter cerebrum et organa digestionis, sicuti ventriculum, intestina et hepar, maximus et mirandus est; hinc fit, ut vitia ventriculi et intestinorum, ex vermibus vel obstipatione, consensu cerebrum ipsum afficiant, et morbum nostrum moveant: et praeterea ut, iis vitiis organorum concoctionis submotis, signa quae stadium primum Hydrocephali indicaverant, evanuerunt. Doctor Hamilton, igitur, ut vitia organorum concoctionis Hydrocephalum acutum moveant, verisimile esse, putat. Hinc Doctor Cheyne quoque nostrum morbum vitiis organorum concoctionis, sive ventriculi, aut intestinorum, aut hepatis, aut omnium simul, summo cum jure, attribuit.

## DE CAUSA PROXIMA.

Parum inter medicos constat de causa proxima. Whytt, Fothergill, et alii, causam proximam effusioni in cerebro imputare soliti sunt. Doctor Quin vero errorem ostendit; et non tam effusioni, quam congestioni vel accumulationi sanguinis intra vasa cerebri, unde inflammatio haud raro oriatur, et effusionem faciat, causam proximam hujus morbi attribuendam esse, comprobavit. Quae, cadavere inciso, conspiciuntur, ea certè opinionem hanc confirmant. Praeterea, omnia signa primi stadii actioni auctae et nimiae arteriarum, praecipuè cerebri, attribuenda sunt; rubor faciei et oculorum, capitis dolor, intolerantia lucis et soni, delirium ferox, quod interdum accidit, et epistaxis. Porro, superficies sanguinis coriacea, et remedia quae corpus deplent, utilia sunt; dum quae stimulant, non solum inutilia, verum etiam noxia sunt.

Hac actione vasorum remissiones facillimè explicari possunt; omnia haec quoque opinionem ăctionis plurimùm auctae arteriarum confirmant.

Hydrocephalus Acutus, ut dictum est, aliis morbis supervenit, cum debilitas totius corporis maxima est; itaque quaeri potest, quomodo ex actione aucta arteriarum in hac conditione systematis oriatur? In debilitate summâ, quae Scarlatinâ vel Rubeolâ orta est, vasa cerebri debilissima, impetu sanguinis modico, quidem dilatata et plurimùm distenta fiunt; et cerebro injuriam inferunt, vel humorem effundunt: hinc effectus idem est, ac si ex actione aucta arteriarum oriretur, dum cerebrum firmius ei actioni, quamdiu potuerit, obstitit. In statu infirmissimo vasorum cerebri verisimillimum est, exhalantibus debilibus citius effunditur; et hoc celerem morbi cursum quodammodo explicare potest.

Doctor Smyth verò, cum Whytt et aliis consentit, qui morbum Hydropicum et Hydropi similem aliarum partium putabant. Ille auctor clarus debiles invadere contendit, et humorem semper effundi aeque ac in aliis Hydropicis malis aliarum cavitatum. Sed si ratio nostra supra tradita vera sit, vix ei consentire possumus.

## DE RATIONE SIGNORUM.

Actio aucta arteriarum cerebri, febrem, capitis dolorem, lucis intolerantiam et soni, et contractionem pupillarum, movet. Pupilla retinae consentit, radiosque lucis temperat; hinc clarâ luce sese magis contrahit, ut radios lucis plurimos excludat, et retinam stimulo nimio defendat. Sensus retinae, actione aucta, major est; itaque minus stimuli, vel radios pauciores, toleret; hinc ad radios lucis injuriosos excludendum, pupilla sese contrahit

Cerebrum laesum, seu incitatione nimiâ sanguinis, sive injuriis externis oriens, vomitum plus minusve consensu semper movet; prout injuria cerebro major vel minor illata est.

In proportione ut vasa sanguine distenduntur, cerebrum comprimunt, functiones ejus impediunt, eoque minus vis nervosae cordi ipsi, aeque ac toti systemati, impertitur; hinc, irritabilitate ejus minutâ, pulsus tardior et magis inordinatus fit.

Plenitudo vasorum sanguineorum, vel humor effusus in cerebro, vel ambo simul, nervos opticos comprimunt, sensumque eorum minuunt; hinc retinae radiis lucis multo minus, vel fortasse nihil stimulatae, stimulum per consensum iridi dare nequit; pupilla igitur dilatatur: vel nervi ciliares, qui iridi praecipue distribuuntur, comprimi possunt, et paralytici fiunt. Interdum tamen, sub fine stadii secundi, et in tertio, pu-

pilla antea dilatata iterum contracta evadit; sed stimulo ad nares admoto, statim sese dilatat, et stimulo remoto, iterum se contrahit. Ad haec explicandum fibras musculosas iridis in longitudine dispositas paralysi laborare, dum fibrae circulares, adversariis paralyticis, se contrahunt, pupillamque minuunt, ut dictum est. His rebus ita se habentibus, si stimulus ad nares admoveatur, vel etiam in ventriculum sumatur, fibrae in longitudine dispositae vim nervosam accipiunt, et pro tempore se contrahere, pupillamque dilatare, possunt; sed stimulo praeterito, iterum resolutae, contractioni circularium fibrarum cedunt, quae pupillam iterum contrahunt.

Cum oculus ab axe solito vertitur, strabismum facit; quum nervus, qui musculo abductori distribuitur, ita comprimitur ut paralysi afficiatur; adversarius ejus, adductor nimirùm, oculum ad nasum versus convertit; tum visus duplex fit; quia imagines rerum

non in puncta eadem retinarum cadere possunt.

Si circuitus sanguinis intra caput impeditur, plus sanguinis, propter commercium liberum in vasa interna et externa capitis per suturas, emittitur extrinsecus; venae externae igitur capitis sanguine turgidae et distentae fiunt; et haud rarò, propter motum sanguinis tardum, effusio oedematosa in substantiam cellularem frontis infunditur.

Cum cerebrum valdè comprimitur, ut fit sub fine stadii secundi et in tertio, functionibus ejus plurimum perturbatis, vim nervosam systemati idoneam vix emittere valet; hinc torpor universalis supervenit, qui irritationem ventriculi superat, adeo ut vomitus diutius non urgeat.

Multae conjecturae fuere ad accelerationem pulsûs stadio in ultimo explicandum, sed

Doctori Smyth consentimus, qui eam debilitati summae attribuit. In omni morbo, in quo debilitas maxima, pulsus frequentissimus est. Vires vitae laborant quasi ad muneribus suis perfungendum. Hinc sub fine Hydrocephali Acuti, cum vires vitae labi et deficere coeperunt, pulsus quoque frequentissimus et debilissimus fit. Quae res magis confirmata est, eo quòd cum causa erat nobis putare, ut humor effusus absorptus esset, signis cerebri compressi evanescentibus, pulsus tamen frequens et debilis factus est, perinde ac haec signa alia abierint; quod nunquam acciderit, si distentione et irritatione cerebri, ut Doctori Whytt aliisque visum est, niteretur.

Respiratio tarda et difficilis interdum fit in ultimis diebus. Aeger celeriter spiritum trahit et emittit; dein post expirationem paulisper respirare cessat; tum celerrimè respirationes paucas perficit; tum iterum dormienti similis quiescit. Respiratio est functio partim vo-

luntaria, partim non: torpor autem generalis functiones quoque musculorum respirationis impedit, tardatque, ita ut necessitas respirandi inevitabilis aegrum inspirare, et respirationes quasdam perficere cum labore quasi, cogit; musculi respirationis iterum labore quiescunt; iterum alternè in actionem celerem necessitate imperiosâ cientur; dum vires vitae adeo exhaustae fuerint, ut semper celeriter laborent. Observare licet cessationem respirandi semper post expirandum fieri, quia spiritum emittimus sine ullo conatu voluntario, idque, vi insita resiliendi cartilaginum costarum ad conditionem sibi facilem recuperandum. Aeger igitur expirat, sed iterum inspirare nequit: "Hinc, inquit Gregorius professor noster, ultimus moribundo nisus inspiratio, animam sine conatu efflat, nam omnes in expiratione moriuntur."

## DE RATIONE MEDENDI.

In hoc morbo, qui ab initio periculosissimus est, et qui cum metam quandam transierit, plerumque lethalis est; maxime est momenti curationem quam primum instituere, eamque cum vigore prudenti persequi.

Signa primaria, scilicet febris, capitis dolor, vomitus, obstipatio, Hydrocephalo, vermibus intestinorum, febri remittenti infantili, et marasmo, communia sunt; felicissimum autem est eandem curationem omnibus iis malis responsuram esse.

Ut alvus semper adstricta est, purgantia indicari videntur, praeterea, purgantia febrem et capitis dolorem obstipatione nitentem minuent; et si irritatio iis rebus submoveri potest, vomitus cessabit. Hinc omni in aspectu purgantia remedia utilissima esse viden-

tur. In dosibus tamen parvis pro viribus et aetate aegri ita repetenda sunt, ut diarrhoeam lenem teneant, quo colluvies ex intestinis submoveri possit. Hac solummodo omnia signa urgentia submota sunt, et curatio facta est; omnium purgantium submurias hydrargyri optimum est; hoc tamen in dosibus irritabilitati ventriculi aptatis adhibendum est; primo in parvis cum ventriculus valde irritabilis est, postea in multo majoribus cum torpor adest; si hic maximus est, pulveris jalapae, vel gambogiae, vel scammoniae pauca grana pro aetate aegri inter doses submuriatis hydrargyri adhiberi possunt. Sin autem signa adhuc gravia sunt aliaque superveniunt, nihil dubii est, quin morbus verè Hydrocephalus Acutus est. In curationem efficiendo consilia tria necessaria esse videntur.

I. Inflammationem in cerebro prohibere vel minuere.

II. Vasa lymphatica stimulare ita ut humorem effusum absorbeant.

III. Signa urgentia in progressu morbi allevare.

1*mo*. Ad actionem inflammatione comitatam minuendum omnium *detractio sanguinis* potentissima est. De quantitate detrahenda tamen minimè inter medicos constat. Dr Rush venaesectionem generalem commendavit in primo quidem stadio phreniculae, ut nostrum morbum primo nominavit; ad quantitatem majorem sanguinis quam in phrenitide, nisi in minimis natu. Num haec methodus curationis melior aliis responderit, non apparet. Missio generalis et copiosa sanguinis primis diebus, ubi constitutio robusta, pulsatio fortis arteriarum temporalium, capitis dolor vehemens, aliaque signa actionis arteriarum auctae in cerebro sunt; praesertim

si aetas prope pubertatem, minimè negligenda est.

In habitu verò scrofula imbuto, et aetate infantili, et ubi debilitas aliis morbis praegressis inducta est, detractio sanguinis generalis debilitatem intenderet et periculosa esset. Sanguis igitur e temporibus hirudinibus detractus bene respondet; et hoc pro signorum violentia et viribus aegri repetatur. Sanguis quoque detrahatur cucurbitulâ cum ferro ad tempora applicatâ; vel ramulum arteriae temporalis vel occipitalis incidendo.

Quidam medici actionem inflammatione comitatam in cerebro perstare per totum morbi decursum putant, et non accessione stadii torporis cessare; itaque detractio sanguinis e capite quando signa postulant, etiam in stadio secundo et fortasse sub fine ejus, utilissima est. Vita in summo periculo est, ideoque pro viribus nostris virilibus aegrum infelicem mor-

te eripere conandum est. Quanquam detractio sanguinis, viribus aegri plurimum exhaustis, vitam in periculum instans ferat ; nihilominus inflammatio et plenitudo vasorum in conditione valde debili debellanda sunt, et etiam tum detractio sanguinis cauta, allevatione cum aliquâ facta sit.

*Emplastra meloës vesicatorii*, ad actionem inflammatione comitatam minuendum, sunt capiti applicata. Emplastrum summo capiti applicatum inflammationem partium externarum movet, sanguinem a vasis internis in vasa externa derivat, et eo modo inflammationem intra cerebrum minuit. Emplastra vesicatoria igitur in curatione hujus morbi nunquam omittenda sunt ; contra, iterum iterumque summo cum commodo repetenda. Doctor Quin summo cum jure emplastra vesicatoria remediorum omnium efficacissima in hunc morbum debellando existimare solitus est.

Rebus jam dictis praegressis, et crinibus a summo capite abrasis, emplastrum meloës vesicatorii forte et amplum toti summo capiti applicandum est: vel emplastrum minus nunc sincipiti, nunc occipiti, dein lateri uni, et tum alteri in successione applicatum est, et irritatio externa perpetuò teneatur. Pars exulcerata unguento meloës vesicatorii, vel unguento juniperis sabinae, vel unguento tartritis antimonii, tegenda est, ut humor copiosus inde eliciatur. Quidam eam emplastro hydrargyri tegi suaserunt.

Doctor Smyth pro emplastro vesicatorio causticum lunare bregmati superimponi, commendat, nam ibi commercium inter vasa interna et externa capitis liberrimum est. Ille, causticum ut stimulum potentiorem moveat, emplastro vesicatorio praefert. Ille nitratem argenti in pulverem tritum imponi formâ emplastri in aluta ovata, cujus diametrum circiter digitos duos transversos longum, et digi-

tum cum dimidio latum erat, suadet; magnitudo ejus tamen pro aetate aegri varianda, et accommodanda est. Hoc emplastrum causticum omni hora duodecima, renovari debet; dum cutem usque perdiderit, atque inflammationem et suppurationem excitaverit. Haec pars eo modo exulcerata unguento simplici curari debet.

*Cathartica medicamenta* ad actionem auctam vasorum totius systematis, praecipuè vero cerebri minuendum utilissima, et efficacissima sunt. Quorum dosis modo major, modo minor esse, et torpori praesenti semper accomodari debet, atque intervallis idoneis repeti, adeo ut diarrhoea lenis excitetur, et per morbi decursum continuetur. Cathartica pro viribus aegri et torpore morbi adhibita irritationem systematis, signa dyspepsiae, capitis dolorem et actionem auctam in cerebro plurimum minuent, si non ex toto submovebunt. Cathartica fortissima plerumque necessaria

sunt ad torporem intestinorum superandum. Submurias hydrargyri pulveri jalapae junctus; vel doses alternae submuriatis hydrargyri et pulveris gambogiae, scammoniae vel olei ricini sine igne, remedia efficacissima sunt, et consilio nostro bene responderint.

*Digitalis purpurea* ad vim et impetum pulsus fraenandum commendata et adhibita est. Vires equidem magnas impetum et frequentiam cordis et arteriarum cohibendi possidet, ideoque utilissima esse Hydrocephalo Acuto promittit. Cum signa praesentia missionem sanguinis postulare videntur; et cum vires aegri fractae et exhaustae morbo aliquo praegresso, vel etiam Hydrocephalo ipso, usum ejus vetant; digitalis purpurea inaestimabilis succedanea esse videtur. Hoc remedium cautè, et eodem tempore, cum progressum morbi celerem contemplemur, cum vigore administrare oportet. Utilissimum est cum debilitas ingruit post alios morbos. Hujus

exemplum notabile Doctor Blackall scripsit, quod accidit post Scarlatinam, cum Hydrops aderat. Simul cum missione sanguinis et emplastris vesicatoriis, digitalis infusum adhibuit, quod illi efficacissimum esse visum est, missionemque sanguinis iterum non necessariam reddidit. Casum puellae annos novem natae insignem post rubeolam nuperrimè egomet ipse vidi; in quo, cum medicus advocatus est, cujus comes eram, aderant febris acuta, dolor summi capitis, surditas, dilatatio pupillarum, alvus pertinaciter adstricta, et torpor generalis. Huic aegrae lavatio tepida mane et vespere, submuriatis hydrargyri grana tria bis in die, emplastrum meloës vesicatorii amplum summo capiti applicatum, statim praescripta sunt. Intra dies duos tresve febris diminuta est, et debilitas, atque signa, quae compressionem cerebri denotant, urgebant. Tinctura digitalis purpureae cum aethere nitrico sub forma misturae cum syrupo simplici adhibebatur ter indies. Drachmas

tres tincturae, qua pulsus afficiebatur, sumpsit intra hebdomadas duas, et, submuriate hydrargyri interea continuato, convalescere coepit, et semper postea recuperavit.

Dosis digitalis primò parva, puero annos tres nato circiter guttas quinque bis terve in die adhiberi, et ad omnem dosin incremento guttae augeri debet. Effectus digitalis tamen signis Hydrocephali ipsius in stadio torporis ita similes sunt, ut in errorem facillimè ducamur, eosque accessionem stadii secundi putamus. Auctoribus dictum est, ut pulsus tardus et inordinatus, digitali adhibita, parvus chordae similis et acer sit, dum in stadio torporis Hydrocephali potius mollis, inaequalis, et plenus : ut languor quoque ex digitali oriens vertigine et brevi coecitate, dum ille ex Hydrocephalo Acuto oriens potius coma comitetur.

Alia remedia simpliciora in usu sunt ad

febrem, signaque actionis auctae arteriarum cerebri minuendum, scilicet, aqua frigida cum aceto, vel glacies in aceto soluta, capiti applicata et saepe repetita : et pediluvium vespere adhibitum. Haec tentari possunt, sed aliis remediis efficacioribus obsistere minime vero oportet.

II. In stadio secundo signa, quae cerebrum comprimi indicant, sese magis magisque ostendunt ; pulsus nimirum tardus et inaequalis, pupillae dilatatae, strabismus, et torpor generalis. Remedia igitur idonea ad vasa lymphatica, ut humorem effusum absorbeant, stimulandum, adhibere oportet. Ad vasa absorbentia stimulandum et reliquias actionis inflammatione comitatae minuendum emplastra vesicatoria adhuc capiti summo cum commodo applicentur.

*Hydrargyrus* vasa absorbentia, ut inter omnis constat, plurimum stimulat, ideoque

absorptionem humoris effusi promovet; hinc in hoc stadio nostri morbi utilissimus est. Doses repetitae submuriatis hydrargyri, ut jam dictum est, conditioni ventriculi et alvi aptatae; et consilio etiam ut et alvum facilem teneant, et effectus hydrargyri proprios ostendant, administrandae sunt. Praeterea, propter difficultatem corporis juvenis hydrargyro afficiendi, unguentum hydrargyri fortius, bis terve in die in systema bene infricare necesse est; ut hoc effectus illius auxilietur; et ambo simul quam primum effectus hydrargyro peculiares in corpore moveant. Hydrargyrus hoc modo extrinsecus et intrinsecus adhibitus pro viribus aegri atque torpore morbi, vix aut ne vix quidem, fluxum salivae auxit. Saliva solito copiosior, omen certè faustum est, et argumentum medicamenti in systema effectus excitandi. Hoc autem, aliis remediis adjuvantibus, sine ulla saliva aucta, vel effectibus ei peculiaribus, curationem morbi efficit.

Aliquando tamen hydrargyro aliisque remediis progressus morbi interruptus est, convulsiones evanuerunt, et sensus tam interni quam externi restituti sunt ; sed debilitas ita summa morbo inducta erat, ut vires vitae recreare et sustinere ars nostra medicinalis nequiret.

Dr Smyth *Scillam Maritimam* effectus Hydrargyri auxiliatam esse putavit : et verisimillimum est scillam fore optimum subsidium hydrargyro in absorptione promovenda.

*Digitalis purpurea* propter vires suas absorbentia stimulandi in effusionibus aquosis aliarum partium indicata est, ut remedium efficacissimum in hoc stadio Hydrocephali. Hujus casus puellae supra scriptus exemplum memoriâ dignum praebet, quod certe omnibus non scepticis satisfiat, digitalem in hac conditione Hydrocephali, non sine periculo

solum, verum etiam cum commodo salutifero usurpari.

*Sternutatoria* in usu interdum fuerunt, sicuti folia asari europaei, nicotianae tabaci, radix veratri albi, subsulphas hydrargyri flavus, distillationem e naribus excitare, absorbentiaque cerebri stimulare; sed raro his consiliis responderunt.

*Sudorifica* quoque adhibita sunt, et nonnunquam utilia. Sudor spontaneus, vel arte excitatus, circa caput et cervicem exortus est, signaque urgentia submovit; et denique paucis exemplis curationem festinavit. Doctor Gregory inter praelegendum mentionem facit de aegro, qui ex strabismo et partim etiam stupore ereptus erat sudore, qui medicamentis elicitus esset.

*Galvanismus* et *Electricitas*, propter vires eorum stimulantes, quoque ad humoris effusi ab-

sorptionem promovendum commendata sunt; raro tamen adhibita.

III. Signa urgentia allevare, viamque lethi magis tolerabilem in multis morbis, est omne, quod ars nostra efficiat; et in quibusdam, inter quos est Hydrocephalus, hoc facere vix in manus nostras est, nam signa urgentia, solummodo simul cum morbo submoveri possunt.

Dolorem capitis minuere *Opium* in usu fuit; cum verò signa inflammationis gravia sunt, non solum inutile, sed injuriosum remedium esse videtur. Post evacuationes idoneas tamen aliquando ad irritationem generis nervosi allevandum utile sit.

*Refrigerantia* capiti applicata, ut supra dictum est, vel aether super caput fricatus, evaporationem promovendo, calorem superfluum secum aufert, optima remedia ad

dolorem capitis allevandum esse videntur. Utile est quoque motum evitare quo capitis dolor intendatur. Alvus soluta, et haustus effervescentes, et reclinatio corporis, nauseam et vomitum, verisimile est, quodammodo minuent. Ad intolerantiam lucis et soni minuendum, lux quam maximè fieri potest, e cubiculo excludenda est; et quies observanda.

*Diaeta tenuis* et *levis* per totum morbi decursum porrigenda est, sicuti juscula tenuia et gelatina animalis, quae nauseam movendo minus apta sunt. Quod si ne haec quidem in ventriculum sine nauseam et vomitum ciendo demitti possint propter ejus irritabilitatem maximam, enemata nutrientia per anum injici debent. Appetitus modo ferè nullus, modo vorax est; occasio igitur tempestiva eligenda est, qua satis nutrimenti, et eodem tempore non nimis, sumatur. In debilitate summa sub fine morbi, vi-

num, vel liquor *gin punch* dictus, ex toto necessaria, et, ni fallor, utilissima, ad vires vitae recreandas roborandasque, essent.

## PROPHYLAXIS.

Huic morbo praevenire multo magis facile et optabile est, quam eum curare. Itaque ad ei praeveniendum alvus facilis, exercitatio modica, diaeta nutriens multum valent. Quandocunque dejectiones alvi plumbeae, pallidae et mali odoris sunt, purgantibus quam primùm decurrendum est. Si dentes, qui gingivas elevant atque distendunt, genus nervosum et functiones corporis generales perturbant, gingivae statim incidendae sunt. Haec praecipuè observari debent familiis, in quibus morbus haereditarius esse videtur. Emplastra

vesicatoria capiti, vel fonticulus nuchae iis familiis utilissima ; praesertim vero iis capitis dolore obnoxiis sine causa evidenti nunquam negligenda.

FINIS.

Excudebat C. Stewart,
*Academiæ Edinensis Typographus.*

## CORRIGENDA.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Pag. 6. | lin. ult. | *pro* | afficiantur | *lege* | afficiuntur |
| 31. | — penult. | — | proclivitatem | — | proclivem |
| 43. | — 5. | — | prudenti | — | prudente |
| 53. | — ult. | — | omnis | — | omnes |
| 54. | — ult. | — | efficit | — | effecit |